



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Reverendissimi Ac Illustrissimi Domini Domini Francisci  
Fenelonii Archi-Episcopi Cameracensis, Et Quondam Ab  
Humanioribus Litteris Serenissimi Ducis Burgundici  
Telemachus**

**Fénelon, François de Salignac de La Mothe**

**Francofurti, 1744**

**VD18 11007532**

Lib. IV. Argumentum. Telemachi narratio interrupta somno. Obiurgatio  
Mentoris & admonitio periculi. Somnium in itinere Cyprio. Constantia &  
virtus imminente naufragio. Cypriorum mores corrupti. ...

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-69283](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-69283)

& mori tecum possem! sed eheu! devovit me miserabili, quàm hic vides, patriæ triste fatum. Cum ista me oportet pati, & nescio, an non eius quondam ruinis tegi. Utcumque autem res aderunt: satis mihi, si modò veri, rectique semper tenax sim. Tibi verò, Telemache, Dii, precor, quorum manifesto ductu videris gubernari, Divinum munus veræ perfectæque virtutis haud velint umquam subtrahere. Vale! Ithacam repete, solatium affer Penelopæ, & libertatem à procerum molestia. Utinam illud celebre per orbem oraculum, Ulysses oculi tui aspiciant, amplectantur manus! utinam & ille in te accipiat à sapientia sua non degenerem filium! at secundis rebus affluens, cave obliviscaris mei, nec amare felix miserum desine.

Huic postremæ salutationi non verbis, sed lacrimis respondi, quas vale dicenti affundebam. Voce enim prohibebar gravi gemitu. Itaque à silentibus in ultimos amplexus itum, processumque ad portum, ubi subsistentem eum deserui. Sublati anchoris, quàm diu oculi ferebant, mutuo inter nos aspectui est indultum.

## TELEMACHUS.

### LIBER IV.

**C**Alypso eodem adhuc vestigio Telemachum audierat, mirabili rerum eventu impotenter affecta. Tunc sermonem eius interpellans, ut non nihil otii daret: Tempus est, inquit, ut tot tantisque molestias & labores dulci somno

somno

somno permutes. Securus esto huius loci, & patriam crede. Dimitte igitur sermonis voluptatem. Fruere quiete, & omni bonorum à Divis futura copia. Ubi primum Orientem Auroræ signabit purpura & Phœbus illustrem sed fatalem astris diem vehet, referemus nos ad multiplicis fortunæ tuæ casus. Sapientiæ profectò & fortitudinis exempla ipse tibi debet, cui tu vitam. Qui stravit Hectorem, qui ex Inferis aperuit viam, & ipse adeò monstrorum domitor auxerint virtutem suam ex tua. Nox commoda mitiget tibi caliginis moram. At quàm erit incommoda, quàm spatiosa mihi! quàm non tolerabili conflictabor desiderio tui, audiendi te, revocandi sermonem ad cognita, quærendi incognita. Agedum! Cum Mentore, à Diis quem recepisti, in hanc antri mei partem succede. Abstracta hæc à reliquis est, & diligenter præparata dormituris. Morpheum precor, velit somniculosis palpebris vestris omnem dulcedinum suarum apparatus inducere, divinis vaporibus irrigare in lassitudinem datos artus. Faciat in animos vestros ea per somnum visa incidere, quibûs oberrantibûs iucundissimæ species soporatos sensus titillent in iustæ quietis subsidium.

Ceterùm ipsa Telemachum deduxit ad cubile. Pars erat hæc antri ab ea, quam incolebat Numen, diversa situ, non amœnitate ob eandem amabilem naturæ simplicitatem. Ex angulo saliens simul dulce murmur, simul blanda soporis lenocinia applicabat auribus. Duobus locis Nymphæ molles herbas congesserant, duabus item pellibus, altera leonis, cui Telemachus, altera ursi, cui Mentor incubaret stratas.

At

At iste prius, quàm oculos daret in somnum, his verbis castigavit Telemachum. Secutus es imperum ea, quæ tibi accidere, narrandi. Amavit te Dea, quòd discrimina, ex quibus vigore solertiâque animi tui es eluctatus, commemorasti. At sic alimentum adiecisti flammis, quibus uri cœpit, & robur eheu! tibi futuris vinculis. Dimitteris scilicet ex Insula Numinis, quod vel sola casuum tuorum audita initia fascinoârunt. Cupido gloriolæ orationem tuam extraxit finibus, quos præscribit ratio. Sponspondit illa, docere te, quæ tum aliàs, tum Ulyssi maximè accidissent. Inde ipsi filum prolixissimi sermonis, verùm ab eo, quem promiserat, omnino alieni. Atqui effecit sic tamen, ut eorum, quæ scire avebat, nihil ex te ignoraverit. Ecce tibi! hoc ipsum telum muliebris cupiditatis, dum indulget blandienti astutiæ. Ah quando ita tibi maturescet prudentia, Telemache, ut nihil dicas per ostentationem; ut taceas cum emolumento tuo, quæ utiliter non proferuntur. Admirantur alii sapere te eâ ætate, cui abesse à sapientia permittitur. Ego verò nihil permittam tibi. Unus ego, cui manifestus & ita charus es, ut committere haud possim, quin vapulent à me, quæ agis perperam. Ah! quòd multis adhuc te parasangis post se videt genitoris sapientia!

Potui ne, Telemachus reponere, nolle Divam de sorte mea erudire? haud sanè, Mentor affirmat. Id magnopere oportebat; at oportebat aliter, ita videlicet, ut nihil præter miserabilia commemorares. Scire licuisset, iter longiusculum tibi & varium fuisse; aliquandiu apud Siculos & deinde Ægyptios te detentum in vinculis. Hæc poterant

terant sufficere. Quæ addidisti porrò, ad augendam pestem duntaxat erant, quæ iam aliàs cor Divæ depascitur; velintque Dii, ne depascatur tuum!

Quid ergo suades à me fieri, non modestiùs quàm disciplinæ studiosiùs iuvenis rogat? negabat Mentor, ampliùs celari Deam posse, quæ etiamdum ex fatis eius ignoraret. Iamque tantum, inquit, ex istis prodidisti, ut eam reliquorum notitiã fraudare haud queas. Indignationem moveret, à femineis auribus si quid rerum tuarum excluderes. Craftinã igitur, quidquid adhuc nôsti à Diis in te beneficii expones. De cetero disce in posterum cautior esse & parcior illis in rebus, quæ quoquo modo ostentationis quid præferunt. Consilio patienter accepto, initus ab utroque somnus.

Simul terris primum diem Phœbus dispensaverat simul voce Calypsûs Nymphæ exactæ in nemus. Quo audito, Mentor inclamans iuveni: heus! inquit, somnum, somnum solvere tempus monet. Age! revertere ad Divam; sed cautior deinceps ad mella, quæ loquetur tibi. Reconde ab ea semper, quæ sunt in animo tuo. Time, si laudet, blandientem viperam. Heri præ genitore tuo ipsi sapiens, præ Achille invictus fuisti; Thesei fama decessit tuæ; semi Deorum album occupare debueras expuncto Hercule. Numquid laudavit intra modum? Numquid, quæ argutabatur, tibi fecerunt fidem? ipsa hercle credidit se mentiri. Laudat tamen, quia videris ad laudes impotentiùs incumbere, quàm ut laudum tuarum amplificatio-nes, etiam non dissimulanter fictas, retundere aut valeas, aut velis.

Tum

Tum processere ad locum, ubi expectabantur à Dea. Venientibus in conspectum leniter arrisit, premens lætantis specie metum curamque incerti animi. Prævidebat enim, Telemachum perinde clapsurum sibi Mentoris ductu, ac Ulysssem ingenio suo. Tum, Eia! matura, inquit, Telemache, dare pabulum, quo satietur in me novorum aviditas. Tota nocte videbaris mihi proficisci à Phœnicibus, & nova in Cypro fata aucupari. Cedò igitur nobis rationem huius itineris. Cave vel tantillum moræ. Mox confessum est herbefcente solo, operto violis, & ex humiliori ponè sylvula umbroso.

Ceterùm Calypso nequicquam imperavit oculis, ne continui essent molliori iuvenis aspectu. Unde haud aliàs quidquam illi erat molestius, quàm ita observari à Mentore, ut nec oculum fas esset sine nota movere. At Nymphæ integerrimo silentio, admotaque in sermonem aure perseverabant, in orbem affusæ, cuius pars altera vacabat, ut & commodius audire, & intueri loquentem possent. Itaque oculi ex omni cœtu in Telemachum affixi & immobiles. Ille deorsum aspiciens, & perquam decenter subeunte rubore, pridie cœptum sermonem hunc in modum pertexit.

Explicatis carbasis interceptæ auræ nos è Phœnicia conspectu celeriter provexerant. Unus ego peregrinus eram, nec vectorum mihi perspecti mores. Itaque decrevi silentio, & omnium, quæ fierent, observatione uti, omittereque, ne inter eos haberer ignobilis, quidquid modestiæ regulis caveretur. Ceterùm conticescentem de industria, approbè irrigare dulcis sopor cœpit. Torpebant

E hebe-

hebetati sensus: commodissimè erat animo: verissima pectus voluptas solverat. Cùm ecce! sive vera ea species fuit, sive nocturnum ludibrium: divisis nubibus velox currus trahentes columbas sequitur. Venus in eo eminebat. Illa ab unguiculo ad summum capillum speciei felicitas, ille iuvenili membrorum vigor, & ciendis illecebris molitudo erat, quibuscum prodiens ex spuma Oceani ipsum æternumque Iovem perstrinxit. Allapsa ad me præcipiti curru, manumque leniter imponens humero, levi cum risu: heus! paulò post, inquit, regnum meum intrabis, Græcule; id quippe nominis præmiserat sermoni. In illam venies Insulam, qua dulcedo, securitas, ludorumque ioci subnascuntur meis vestigiis. Hic locorum aras meas odorum deliciis coles. Hic te circum torrens voluptatum fluet. Pandè animum tam dulci spei, & cave resistas Dearum principi. Sic per me felix; sic beatus eris.

Sub hæc puerum aspicio. Cupido erat. Motis subinde pennis iisque non magnis vagabatur circum matrem lenissimo volatu. Erat os molliculum, eiusque amœna festivitas; quali anni primæ pueritiæ lasciviunt. Oculorum argutissima acies, sed ad formidinem; nescio quid, alens. Aspiciebat cum risu; sed malignè; contemptim, atrociter. Educebat ex aurea pharetra, qua cingebatur, sagittam, inter omnes aptissimam vulneri. Parabat arcum adductis nervulis. Iamque ordiebatur in me iactum: cùm adest Minerva, obiecta Ægide improvifum auxilium. Formâ illi non mollis, non ad amores liquefcens (quacum Venus habitum oris & corporis sui offerebat) sed simplex, non curata, & quam sine libidinis illecebra pudicus  
aspi-

aspiceret. Nihil in ea remissum, fractum, humile, sed vigor in omnibus, augustaque dignitas. Ceterum prævalente Ægide, sagitta cupidinis decidebat sine noxa. Tum ille stomachari, quati acerbo gemitu, rubore natare ob ereptam palmam. Aufer te hinc, puer improbe, Minerva exclamat, apage! animos angustos, sordidosque pete, quibus sapientia, virtus, gloria ad turpitudines tuas eviluit. Lauros tuas ex his folis leges. In hos sarcasmos fremens amasium Numen se aliis proripuit. Venus quoque tollebatur in Olympum, curru iugatisque avibus in illustri & cærulea nube diu mihi conspicuis subducta est. Minerva, cum à fugitivis Numinibus versùs terram referrem oculos, discesserat.

Videbar mihi in loco versari, qui Elyfæos hortos laudaturo suggereret idoneas species. Et ecce! ibi Mentor se mihi. Heu fuge, inquit, crudeles terras, fuge littus ex voluptate, quam colit unam, pestiferum! hinc trepidandum etiam constantissimæ virtuti, fugiendumque, perire si nolit. Ego, simul atque Mentorem aspexi, parabam in eum involare, amplectique. Sed nimirum torpebat in hæc (ita dormienti visum) pes, lababat genu; & manus, amicum contentius adnixa stringere, inanem complexusque non capacem umbram captabat. Atqui hæc ipsa contentio somnum rupit; sensique oblata in quiete speciem, quam tot variassent mysteria, Deorum monitum esse. Deprehendi me ad voluptates molliemque Cypriam heroem, sui diffidentia, ne temere faceret, abundè instructum. Ægritudo tamen non aberat animo. Credebam Mentorem expulsam è vivis, superata styge iam transisse ad iustorum manes.



Hanc igitur cogitationem ingens vis lacrimarum subsecuta est. Causam rogantibus: lacrimas aiebam planè decere infelicem alienigenam, qui iactaretur extra natale solum præter spem eius videndi. Inter hæc impotenti lætitia tota navis insaniit. Nautæ velut iussis feriis non remos, sed super remis rhonchos ducebant: floribus gubernator cinxerat caput, dimissoque clavo, grandem manu sustinebat situlam, & proximè implendam ad alteros haustus unà cum ceteris insolentior temulentâ vesaniâ, Veneri Cupidinique pangebat imò vociferabatur honestati prorsus intolerabilia auditu.

Dum vacatur ineptæ lætitiæ, dum in cyathis sepelitur malorum ex pelago memoria: ecce velut de insidiis imminens tempesta cælum omne undasque fœdavit. Effundebantur immitissimæ procellæ, quæ immaniter furentium impetu irruentes carbasis, longè quàm in Æoli antris remugiebant atrocius. Decumanis fluctibus diverberabantur latera navigii, inter violentos undarum assultus femerè ingemiscencia. Terribili vicissitudine iam efferebamur minaci tumore in cumulum assurgentis pelagi, iam velut nudatò profundò videbamur fuituri in abyssum. Augebant terrorem in proximo scopuli, ad quos efferata undarum volumina incredibili cum horrore affligebant sese. Tum enimverò didici usu, quod frequenter ex ore Mentoris, voluptatem, cum periclitatur, animis destitui. Torpebant scilicet Cyprii, ploratibus muliebriter squallentes, in utramque hanc aurem lugubri ululatu, & miserabili planctu infuso: carendum iam vita, & delicatæ vitæ illecebris. Ob-

ruitu-

ruituros se victimis Superos (nam etiam in vota inania scilicet à remulentis itum) si licuerit salvis venire in portum. Adèò animos fregerat improvisum malum, ut nemo vel dirigendis vel occupandis nautarum officiis esset. Ergo ratus ego, in me uno & meam & salutem reliquorum agi, ambabus manibus in gubernaculum involo; quippe navigii dicam an Baccharum rector ne par quidem erat cognoscendo discrimini. Confirmatur nauta: laxantur iussu meo antennæ: remis strenuè incumbitur. Per medios scopulos eVecti evadimus præsentissimum, nec iam oculis nostris occultum exitium.

Somnio res similis videbatur universis, qui suum mihi debebant spiritum, stabantque cum stupore respectantes me. Appellimur Cypro. Mensis tum erat, quem ex vernis temporibus sacraverunt Veneri. Atque hæc quidem aiunt præ ceteris amorum Matri deberi, quippe quæ naturæ velut animam revocarent, voluptates unà cum florum spectaculo gignerent. Expositus è navi, sentiebam lenissimum aërem regioni incumbere, qui corporibus ingereret ignaviam, festivum & levitati primum habitum afflaret. Adverti glebam, cuius alioquin secundum ingenium & redundans in delicias, ferè cultum desiderare, incolis abominantibus laborem, qui manu peragitur. Videre passim erat matres virginésque, vel ipso iam profanatas ornatu corporis, quæ inter hymnos Veneris procedebant, eius altaribus initiandæ. Pulchritudo, amœnitas, gaudium, voluptas apparebant collecta in vultus, sed ipsa amœnitas multo accita studio. Aberat illa generosa oris simplicitas, de-

E 3

censque

cénsque compositio, ex qua pulchritudini complementum. Gestus molliculi, vultus ex arte formosior, ornatuum vanitas, remissior incessus, oculi aspiciere & aspici quasi ambientes, mutua æmulatio ad concitandum ardorem immoderatæ cupidinis; & quidquid denique in his deprehenderam feminis, fordebat mihi; adedò, ut augerent in me sui fastidium, quantum operam mihi placendi cumulabant.

Ducor in templum Deæ. Pluribus locis colitur. Quippe Cytherei, Idalii, Paphiisque ædem ipsi curavere. Ego illam Cythereorum intravi. Structa est ex marmore, & inter eas, quas ab ambientibus columnis peristylia nuncupamus, absoluta numeris suis. Insigni mole Columnæ & solito altiores Divinæ sedi speciem oppidò augustam faciunt. Epistylion trabem maximam appellant, quæ columnis reposita ferè sustinet ædificium: volutæ serpunt cininni vel spiræ modò per caput, quod secundum epistylion prominet. Utrique impendent latiores quidam balthei aut fasciæ imaginibus, non solida specie exstantibus, admonentes eorum, quæ iucundissima Divæ contigerunt. In templi foribus perpetua populorum frequentia sacri faciendi causâ. Intra sacrarii ambitum nec victimas cedere licet, nec pro consuetudine ceterarum gentium igni tradere victimarum adipem, nec eorum sanguinem patitur divinum domicilium. Aris duntaxat exhibent animalia, futura in hostias. Iuniora Numen accipit, candidaque: repellit effœta, & quæ aut labe, aut aliqua sui parte sunt insignia. Teguntur purpureis fasciis, quas distinguunt aurò. Idem inducunt cornibus, fertaque  
cir-

circumponunt, odore placitura. Altari exhibita remittuntur in semotum locum, in ferias Deæ maclanda à sacerdotibus.

Inter munera etiam aquæ sunt, vinâque illo, quo Dii potantur, dulciora. Sacerdotes albas tunicas, quibus induuntur, aureâ zonâ adstringunt. Tunicis subnexæ fimbriæ sunt ex auro, talos leviter mordentes. Incensi odores, quorum flos ex oriente petitur, non interdiu in aris, non noctu cessant; vaporibus inde imitantibus nubem, quæ sursum evolvitur. Columnarum decus ficta poma, florûmque cingula, quæ sculptores appendere. Præter aurea vasa non adhibentur Divinæ rei. Nemus, quod ædem ambit, myrtis consitum & sacrum est. Lectissimi lectissimæque esse debent iuvenum, à quibus hostiæ sacerdoti traduntur, & ignem foci accipiunt. Ceterùm ex impudentia & præter modum vita tanti maiestas templi evilescit.

Horrori mihi erat initio, tam perversè agentes aspicere. Sed & ipsi paulatim ex videndi consuetudine minus displicuerunt. Mitescebat mihi flagitii nomen. Temperantiæ freni, quoties cum ea gente congredebam, remittebant largius, quàm ut capere potuerim. Ridebatur mea innocentia: Quia modestus, quia pudicus, exponebar ludibrio: nec omissum, quidquid cupiditates solvere poterat, & mentem sensu perstringere illicitæ voluptatis. Hebescebat (quod sensi) in dies robur animi. Et indolem quidem meam industria magistrorum finxerat ad præcepta omnino salubria. Sed illa nunc pudori vix fatis consulebant: aberant ab effectu etiam vehementissimè

destinata. Omni ex parte involabant in me flagitia potentiore impetu, quàm ut iis retundendis me sentirem sufficere. Quid? quod ipsam adeò virtutem mihi ducebam dedecori. Fingite vobis hominem, in flumine profundo & incitatore. Contendit aquis adversandò progredi. At si negent ripæ præcipites & abruptæ in margine interfistendi copiam: fatigatur scilicet; vigor expellitur; torpent exhausti labore artus; secundum flumen cogitur sequi. Ita mecum tunc actum. Obscurabantur oculi: languebant præcordia: nihil erat, quod me aut rationis admoneret, aut paternæ virtutis. Ultima pestis somnium fuit, quod Mentorem in Elyfios campos fingebat transisse. Hæc cogitantem omnis planè virtus destituit. Accessit occulta desidia, & quam difficile sit non amare. Iàmque placebat blandum virus; idque in alias atque alias diffusum venas, interiora denique ossium tentavit. Nihilò ramen minus audisses etiamdum à me graves gemitus. Miserabili fletu, & horrendo fremitu ardorem vesanæ cupiditatis interpolabam: Eheu, iuventus misera! humanæ fortis nimis ah! acerbi arbitri Dii! ùt quid indulgetis iuventuti, quæ aut insaniunt, aut ardent, tempora? cur nondum hoc caput incanuit? cur nondum ætas segnior telluri inclinat hos artus, aut etiam tumulo, nec Laërtio æqualem me nepotem facit! aut vitâ, aut, qua confictor, turpi molestia Telemachum liberate!

Hæc vociferabar. Subitò laxari tristitia cœpit, & pudorem ferè ultimum animo excutere vesana cupiditas. At rursus inde cruenti in obnoxia conscientia stimuli. Ita incertus consilii, nec potens  
mei,

mei, incertis pariter & incitatoribus vestigiis per sacrati nemoris recessus ferebar. Dixisses me feram, quæ excepto iaculo per densas sylvarum concitata latebras vulneri lenimen quærit; dum hærens lateri lethalis arundo ubique frustratur sylvestre remedium. Ita & ego inutili fatigabar cursu. Existimabam fieri posse, ut oblitus mei imponerem vulneri. Sed nihil erat mediæ, cui non ipsum imponebat vulnus.

Forte tum, qua in umbram densabatur nemus, speciem Mentoris aspexi. Procul erat, & vultus tristi pallore ita suffusus, similisque castigaturo est visus, ut futuram ex aspectu eius lætitiæ occuparet. Tène, amice ah! spes mea, fiducia mea, tène aspicio? quid? tûte ipse? aut ludis ficta specie? Tûne Mentor, an manes tui, mea quos huc evocavit calamitas? tène ergo ille felix animarum adhuc ordo manet, cui à virtute sua largum præmium, & innoxias voluptates inter æternæ pacis otia in Elysiis sedibus impertiuntur Dii? agedum, loquere! vivisne? ten' ah! tène fruor, an amici umbram video? contendebam sub hæc verba ad ipsum, impos animi & præceps cursu adeò, ut prohiberer spiritu. Ille operiebatur me eodem vestigio. Vos, vos, Dii! nôstis, cum ipsum esse palpans demonstraret manus, quàm solidum gavifus sim gaudium. Non umbra, non umbra est; ipsum manus, ipsum amplexus stringunt, Mentorem meum, cor, animam meam! hæc tum voces meæ cum impetu. Ingens vis lacrimarum cadebat in amici vultum; & impeditâ à sermone linguâ ex collo eius diu silens pependi. Ille me aspicere oculis, quos moderabatur tenerrima pietas.

Tandem ego cum gemitu: unde? ah! unde tu mihi? eheu! in quantis ego te absente periculis! & quid nunc te sine Telemachus? At ille aliud reponens, & voce ad terrorem inclinata: fuge, exclamat, & quàm potes citò fuge. Venenum est, quidquid gignit hæc regio. Cælum, quod hïc hauris, pestiferum est; hoc infecti incolæ sectantur colloquia, non ut verba, sed qua exuruntur ipsi, luem communicent. Voluptas abiecta & turpis, qua maius Pandoræ pyxis non effudit malum, expellit robur animis, virtutem istis sedibus. Fuge, quid hæres? imò nec digneris, quod fugis, respicere: memoriam pestiferi huius loci in te penitus exstingue.

Hæc severiùs contendente Mentore, videbatur spissa quædam nebula ex oculis meis solvi, deinde ita dissipari, ut lux sine nube incideret. Reddebat se animo vigor constantiæ, & ex suavitate amandum gaudium, oppidò abhorrens ab effeminata illa, ineptâque lætitia, quæ sensibus meis fascino in modum sese hæctenus afflaverat. Hæc quippe stolidâ & turbulenta est, vesanòque cupiditatum æstui ac conscientiæ obnoxia furiis; illud verò sanum, à turbarum incommodis liberum, & è cælis munus est; quippe liquidum & immutabile, uberri- mum, ex gustu semper dulcius; animum denique tam violenter quàm non trahens iniucundè. Ipsum hoc gaudium tum mihi afferebat lacrimas, sensique nihil dulcius esse hoc genere lacrimarum. Felices, dicebam cum suspirio, felices, quibus nihil, quod virtutem adornat, absconditur! potèstne hæc aspici, & non amari? amari, & non beare?

Tum Mentor: destituendus es mihi, inquit, & momento. Mora non licet. Ego verò: quid, destitui  
à Men-

à Mentore ? quò ergo te via ? scilicet datur in orbe ab humano cultu tam inanis locus, in quem penetrabis sine Telemacho ? Haud Hercule effugies. Mens priùs à corpore, quàm ego à Mentore. Te sequar : Simul virum stringebam firmissimo amplexu. At ille : frustra es. Non retinebis, quod speras. Ad Æthiopes Arabésve pretiò me transtulit Metophis avara crudelitas. Ceterùm hïs Damascum Syriæ negotiatum profectis vānum ibam ob spem, ingentem pecuniam posse ex me redigi ab Hazaële quodam. Is quippe Græci moris & disciplinæ avidus, ex Græcia emprurus erat mancipium. Et sanè magni ab Hazaële emebar. Quæ ex institutis nostris aperui, tanto illum novitatis studio succenderunt, ut ad discendas Minois leges Cretam statuerit. Insistentem huic itineri navem repugnantes à prora venti compulère in hunc portum. Ob Rem Divinam, dum idoneam mutationem subiret aura, templum intravit. Et ecce ! redit. Cælum invitat, secundo impetu il-lapsum velis. Vale, Telemache ! cum fide sequi dominum pii mancipii est. Iuris mei ut sim, porro nolunt Dii. Id si voluissent, essem (consciis ipsis loquor) tuus. Vale, & noli, quæ passus genitor, quid quantumque fleat genitrix, noli Deos iustos oblivisci. O, qui semper Innocentiam curatis, superi ! o quibus in terris mihi eripitis Telemachum !

Falleris, dilecte Mentor, falleris : aiebam. His in terris tibi, quanquam volenti, non eripietur Telemachus. Sine me (ita vivam) non abibis. Ferreúsne ergo Syrus ille & alumnus tygridum ? hïsce brachiis evellet te ? aut umbris me tradet

aut



aut tibi. Fugam suades, & fugam meam non excipis? Ecce! Hazaëlem adeo. Hos annos, has lacrimas respiciet. Quid dubito? fieri nequit, ut, quem investigandæ sapientiæ amor rapit per tanta itinera, careat misericordia. Supplicabo: stringam genua: nec dimittam nisi voti particeps, & futurus socius. Tecum, amice, mancipium, & si velit, suum ero. Quodsi nolit, perii. Hæc dextera aperiet ad manes viam.

Et fortè tum Mentorem vocabat Hazaël. Advolvor pedibus. Ille percellitur demissione ignoti hominis: quid velim, rogat. Vitam, respondeo. Moriar, per te nisi liceat Mentorem sequi. Ulysses me genuit; Ulysses, cuius sapientiam ex Troianæ & urbis & gloriæ vastatoribus æquavit nemo. Genus meum non iactò, sed ut miserearis fati mei, refero. Scrutatus maria, ut patrem invenirem, hunc hominem pro comite, inàd patrem habui. Privatus illo sum, ne quà mihi fors maligna parceret. Servit nunc tibi; serviam (ita precor) & ego. Servantem æqui si rectè te credimus, si ad Cretenses te Minois disciplina trahit, hos gemitus, has lacrimas ne spernas. Summo loco & Rege patre natum ad pedes tuos vides, & abiectum eò, ut à servitute remedium salutis cogatur deprecari. Olim apud Siculos, ne servirem, statuebam mori. Atqui ex illis malorum meorum initiis levissima duntaxat argumenta futurorum apparebant. Nunc vereor, ne servire non liceat. Vos ab astris Numina, miserum hoc caput despiciate! Te verò, Hazaël, per quam adoras, Minois sapientiam, pérque eius apud Inferos æquissimum, quòd nos ambos manet, iudicium oro, atque obtestor.

Haza-

Hazaël facillima fronte, porrectaque manu allevans supplicem: Nec sapientiam, inquit, nec virtutem Ulyssis ignoro. Quantam ille gloriam domi suæ, ego frequenter ex Mentore, ex properata fama Oriens didicit. Ades dum magnum ex Ulyssæ genus! patrem in me, dum genitorem recipias, habe. Hoc si neque Ulyssis gloriæ, neque adversæ eius tuæque forti, at certè amicitia Mentoris dare & impendere iubeor. Is ex emptione mancipium, ex fide necessarius meus est. Nundinabar pretio; comparavi amicum, unicè dilectum, æstimatione æris superiorem. Ille est, in quo inveni, qua nihil pretiosius, sapientiam; ille hunc animum virtutis amore implevit unus. Et ecce nunc eum liberum pronuncio, & te servitute absolvo. Amicos volo, non servos.

Tum enim vero exturbari, quidquid amaro animum sensu oppleverat; succedere gaudium, quantum mortale pectus sine noxa capit. Nam & perfunctus eram formidolosissimis discriminibus, & admovebar dulci patriæ. Aperiebat sese, qua redirem ad meos, via. Adde ipsum ex Hazaële solatium. Eius quippe non iam societate, sed etiam charitate fruebar, natâ ex non ficto in virtutem studio. Paucis: recuperato Mentore sine metu amittendi eius, recuperavi omnia.

Festinat Hazaël ad maris crepidinem. Sequimur: mandamur navi. Tranquillô fretô remus, lenis anima Zephyrorum velis accipitur; inde navis, quasi torpore absterfo, haud temerario motu cieri. Extra conspectum insulæ strenuè processum. Hazaëlem trahebat mirabilis expectatio pernoscendi animum meum. Itaque quid  
mihi

mihi de Cypriorum moribus & disciplina, interrogat. Ego, quibus periculis flos ætatis meæ fuerit expositus, atque ipsas adeò pugnas interiores animi mei nunciabam simpliciter. Ille verò inaudiens, horrore fastidiòque mihi fuisse, quæ vidissem turpia; haud paulò intentiore cum motu animi: Quantum tu cum filio tuo, inquit, possis, o Venus! scio. Ambos thure colui. At erubescendam mollitiem, qua liquefcit vestra Insula, deinde alienas ab homine libidines, quibus celebritates vestræ inquinantur, finite, quæso, transcribam Diris.

Postea sermonem instituit cum Mentore de summa illa, primaque potentia, quæ cælum terrásque condiderit; de immensa illa, immutabilique luce, quæ quanquam omnibus impertita, ipsa tamen non dispertitur sese; de illa suprema veritate & universali, quæ omnes animas perinde atque hunc spectabilem mundum Phœbus, mirabili radio illustret. Et hanc quidem lucem, ille subiungens inquit, qui aspexit numquam, primigenia quadam cæcitate laborat. Equidem vivit is, at noctis concubiæ occultatus tenebris; veluti quibusdam nationibus frequentior annus ex absentia solis caligat. Maturum se iudicat fundendis oraculis, & insanit. Lynces provocat, & cæcutit cum talpis. Clauduntur morienti oculi, quos nunquam utiliter aperuit. Aut certè præter obscuras fictasque species, præter inanes umbras, & exerrantis phantasiæ excrementa haud intuetur quicquam. Hanc cæcitatem cæcutiunt, hanc insaniunt insaniam, qui illecebris sensuum, & captiosis aberrationibus animi tanquam incantamenti abripiuntur. Simulacrum

lacrum hominis est, hanc æternam mentem qui non consulit, non amat, non sectatur. Quæ cogitamus bona, inspirat; mala impune cogitare non finit. Ratio nostra, vita nostra illius donum est. Animi nostri velut rivuli; illa mare quoddam luminis: ex quo progressi in idem sese denuò, ut absorbeantur, recipiunt.

Ego sapientiam huius sermonis assequebar minùs. Ceterùm, cùm proferretur, sentiebam exquisitum quid esse, & à communi usu remotum; neque in præsentiarum ei enuntiando sum. Ardebam illis miscentibus talia; &, quot verba, tot argumenta veri credebam me non audire, sed intueri. Dicendò progressi de origine Deorum mutavère verba. Ab his ad Heroës poëtasque sermone translato auream ætatem largiùs delibârunt. Perstricta etiam universi orbis inundatio, mixtàque historia primorum temporum. Ventum præterea ad Aquas oblivionis, quibus immerfæ animæ memoriam præteritorum abstergunt. Pœnas item suppliciâque memorabant, quæ Tartarus parat semper cruciando sceleri. Ab hoc loco infelicitatis ad felicem tranquillitatem deflexerunt, quam bonis Elysi campi nullo metu amittendæ eius servant.

Ceterùm his sermonibus iucundum intervenit spectaculum. Delphini subibant, eminentes ex aquis. Auræ illis squammæ, & quem in sudo cælo videmus, color. Alludentes mutuò, placidam intemperiem induxerunt mari, motis fluctibus & liberaliter emicante spuma. Tritones secuti, conchis ingenti tortis flexu tubarum clangorem imitabantur. Circa Amphitrites curram  
erant,

erant, quem equi marini trahebant, magnum ornamentum spectaculi. Illi candore nives, illi Notos velocitate superabant adeò, ut ruentes per altum, alveum largiori spariò deducerent. Accedebant flammæ oculorum, & ora fumantia, iugalium ingens decus. Concha præstabat Divæ currum mirabili specie. Candebat præ ebore; rotæ ex auro. Volare eum credidisses per stagnantes undas, supremæ etiam aquæ salva tranquillitate. Nymphæ proximæ, frequenti natatu; fertisque adornatæ casariam, quæ, descensura humeris, dabat se aspirantis cœli ingenio. Amphitrite imperabat fluctibus aureò sceptrò, quod manum alteram occupaverat. Alterâ parvulum filium eúmque Deum Palæmonem stringebat commode exceptum sinu, & trahentem alimenta suæ infantia. Frons Divæ parentis serena, maiestas facilis, ceterùm ventis tempestatibusque infensa, quorum feditionem horrorémque excludebat mari. Equis Tritones moderabantur; aureæ item habenæ, quas admovebant. Purpureum velum & capax multæ auræ tegebat currum; fluitante per aërem modico sinu. Quippe partem eius duntaxat impleverant numerosi Zephyri, ambitiosum aspirandò promerendæ Divæ famulitium. Medio aëre se Æolus suspenderat; intentiôrque cura, æstuans sollicitudo, & acriter agendi fervor fatigabat. Facies ex rugis difficilior? vox acerba ad terrorem: supercilia denso tractu temerè incurrentia in palpebras: immitiùs quàm luculentiùs ardentes oculi, quibus turbulentum murmur aquilonum, nubiumque decedebant minæ. Immensæ moles, delphini, quæque orta mari ob inusitatam speciem

mon-

monstra dicimus, attractis, deinde refusis per spiramenta narium aquis, æstum faciebant pelago; & celeritate, quam vix credebam capere posse tantam magnitudinem, è cavernis suis, imo impressis fundo, eluctata Deam suam mirabantur.

## TELEMACHUS.

## LIBER V.

**H**Oc spectaculo suspensos Cretæ iuga procul adverterunt. Laborabat adhuc incertus oculus, ut à nubibus pelagóque ea dignosceret. Paululum proVectis apices suos ad reliquorum invidiam mons Ida nudavit; quos, velut cervus ramosis cornibus insigniter armatus iustæque ætatis hinnulorum, qui sequuntur, seriem altitudine superat. Leniter deinde se nobis Insulæ ora amphitheatri in modum applicuit, iam certioribus, quæ paterent videnda. Cyprus inculta & expers humanæ industriæ videbatur; Creta autem fertili solo, diversorum præterea fructuum copiâ solliciti cultus ostentabat argumenta.

Pagi firmiter extructi, vici oppidorum specie, urbes magnificentia singulari; omnium magna frequentia. Agri aratoris manu diligenter signati: fulci non leviter impressi. Fruticum & verprium impedimenta, herbásque inutiles felix gleba ignorat.

Quàm volupe nobis erat aspicere valles profundas, boum mugitibus resonantes, qui pingui gramine secundum aquarum manantium crepidines vescebantur! aspicere vervecum greges ex adductis multa declivitate collibus pabuli causâ